

das: ac nescio an, quod postea fecisse dicuntur, jam tum quoque in animo erat, locum muris communire: quod non solum ad id quod aperte prætendebant, sed ad bellorum etiam rationem, maxime Ligusticæ rei, conducibilem non ignorabant. Igitur quia nullis adhuc munitionibus erat firmatus, repente locus a Venetis oppressus est, atque incendio consumptus. Inde ad Folia vetera, quæ Genuensium tunc erant, admota classis. Hujus quoque oppidi in suam potestatem redacti non parvam Veneti partem combusserunt. Interim a Genuensibus nihil motum reperio.

Sequenti anno Joannes Superantius cum quinque & viginti triremibus in eandem provinciam missus. Is Caphata urbem in Taurica Chersoneso sitam adortus, subita vi occupat: ubi appetente hyeme coactus est hybernare. Immenis regio damnata frigoribus (quippe quæ non solum ad septentriones vergit, sed pene etiam subjacet) novem navium turmas, reliquis magna ex parte afflictis, consumpsit. Mæotis palus, quæ non multum inde recedit, cum ipso Cimmerio Bosphoro adeo alta glacie concrevit, ut proditum sit memoriæ, hic ubi per æstatem navibus fuerat dimicatum, equestre sit prælium hyeme commissum. Genuenses & ipsi haud ultra differendum rati, Lampade Aurio Præfecto cum sex ac sexaginta triremibus, vel, ut alii tradunt, septuaginta, in altum processere: qui ut cladem in Pontico mari acceptam ulciscerentur, Venetum sinum tumultuose ingressi, ad urbem usque continuo cursu pervenissent, nisi ad eam numerosæ classis famam, majoribus quam unquam conatibus itum esset Liguri obviam. Habuit tum Venetus triremes quinque & nonaginta: quas quum hostis ad Corcyram nigram esse cognovisset, pugnandi studio eo cursum deflexit. Nec Veneti, utpote qui non parum numero navium præstabant, pugnam detrectarunt. Memoria ad hæc rerum priore bello gestarum ingentem his animum dabat. Sciebant cum eo hoste sibi rem futuram, quem inter Tyrum & Ptolemaidem ingenti prælio vicissent. Succurrebat & nobilissima illa ad Drepanum pugna, qua

1296

*Joannes
Superantius
post præcla-
ra gesta ali-
quot turmas
navales fri-
gore amittit.*